

Rome, 24 janvier 1601.

/ Perillustris, et Reverende Domine. Non respondi continuo secundis
 literis Dominationis vestrae, quoniam certi aliquid, quod scriberem
 ,habere cupiebam. Egi cum Sanctissimo Domino Nostro, et cum aliis,
 ad quos hoc negotium quoquo modo pertinebat, idque non semel, nec
 5 frigide. Tandem illud effectum est, ut pensio trium millium nummo-
 rum aureorum super episcopatum ipsum in gratiam personae vestrae
 decerneretur. Quod decretum~~t~~ toto sacro Collegio consentiente fac-
 tum est, neque de hac re ulla deinceps controversia esse poterit.
 De Praepositura in eandem personam vestram collocanda magna mihi
 10 spes a summo Pontifice facta fuerat; sed praevaluit auctoritas alio-
 rum, quibus non facile id negari poterat. Scio moderationem animi
 vestri; tamen confidenter hoc addam, non esse magnopere deflendam
 jacturam magnarum opum, atque amplissimae dignitatis, quibus non mi-
 nora pericula salutis aeternae amittendae adjuncta esse dubitari
 15 non possit. Valeat Dominatio vestra, meque, ut facit, amet, et meam
 sempiternam salutem Domino Deo nostro percibus suis commendet. Romae
 die 24 Januarii 1601.

Perillustris et R^{dae} Dom. V. studiosissimus

Robertus Card. Bellarminus.

20 54 54 F. B. 3, f. 61^v. Minute autogr. Fuligatti, Epp. famil. XII.